1185. Chiavenna Morbio 16 (19) 19.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Imperialis consuetudinis est et simul innata nobis postulat pietas et hortatur, ut votis fidelium nostrorum clementer annuamus et ipsorum peticionibus, specialiter autem his que iuste sunt et quarum vota pietas simul et honestas comitatur, assensum nostre benignitatis gratuitus accomodemus. Attendentes igitur servitia que fidelis noster Gubertus Clavennensis nobis et imperio sepius cum multo sue persone studio exhibuit, affectum quoque et sinceram devotionem quam circa promotionem divini offitii toto corde gerit et nominatim circa incrementum ecclesie quam edificare cepit in honorem beate virginis in loco qui dicitur Ridona, notum facimus nobis fidelibus nostris consulibus Clavenne, nostroque communi, universis quoque fidelibus imperii nostri, quod nos ad promotionem iam dicti monasterii et in remedium peccatorum nostrorum donamus et contulimus ei tenimentum terre in loco qui dicitur Konka, iuxta predium eiusdem ecclesie, sicut situm est et protenditur in directum a monte usque in stratam publicam, habens ab oriente iam dictam ecclesiam, ab occidente vero habens terminos usque in stratam publicam, a meridie habens pascua communia, ab aquilone vero attingens prenominatam ecclesiam. Ad augmentum quoque gratie nostre damus et confirmamus ei agrum unum situm iuxta idem predium sicut eum fossato comprehendit et retro actis longe temporibus iusta adeptione possedit. Nos igitur cum hec bona sint regalia nostra cum voluntate nostra ipsi libere possimus conferre, fidelitati tamen nostre deferre volentes, domum quandam suam quam habet in Clavenna nobis Clavennensibus in concambium damus, ipsi assensu et voluntate pomina accedente. Statuentes ut nos huius domus proprietate, ipse vero Gubertus predictorum bonorum possessione ad profectum prenominate ecclesie libere inconvulsa gaudeat. Ut autem hec commutatio utrinque rata permaneat, presenti scripto eam confirmamus imperiali firmantes auctoritate, ut nulla omnino persona predictum Gubertum in bonis illis perturbare vel molestare audeat. Datum in castro novo, anno dominice incarnationis M. C. LXXX. V. indictione III. X kal. Julii.

Ego Iovostinus sacri palatii notarius autenticum huius exempli vidi et legi et ut in eo continebatur ita in isto huius exemplo preter litteras vel sillabas plus minusve et me subscripsi et firmavi.

Ego Guido de Sexo iudex domini Henrici imperatoris autenticum huius exempli vidi et legi et sicut in illo continebatur ita in isto legitur exemplo preter litteras vel silabas plus minusve et me subscripsi et firmavi.

Ego Latelinus de Menaxio notarius imperialis aule hoc exemplum ex autentico exemplavi et sicut in eo continebatur ita ut in isto exemplo nil minus preter litteras vel silabas plus vel minus scripsi.

fuit [illegible] 1183

~ S. M. de
Dona ~

X

22

~ Die . septimo Julij . M . C . lxxxvi . ~
~ Transumptu(m) p(ri)uilegij Friderici Imperatoris de co(n)cessio(n)e certo(rum) bono(rum) eccl(es)ie . S. Marie de Dona ubi dicit(ur) ronc(h)a . ad Instantia(m) guiperti de clauena fondatoris dicte eccl(es)ie : ~
Die . 13 . 9bris . M . C . xcij : ~
Ite(m) transumptu(m) p(ri)uilegij Henrici Imperatoris (con)firmat(ionis) bona et mon(...) ipsi(us) eccl(es)ie . S. marie de Dona ~

Chiavenna
M.o S. S. Maria Donn.

Morbio 16 (19)

Confirmatio Dni [illegible]
i(n) privilegia frederici et henrici Imperato(rum)
facta Abbati clauenn(e) [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1763790843-13/fragment/page=0002